

κειμένω, ἐν συνεχείᾳ δὲ δίνονται καὶ αἱ μὲ συνοδείαν ἐπιθέτου γινόμενα μνεῖαι ἀλφαβητικῶς, ἀνερχόμενα εἰς δεκάδας. Εἰς τὸν *Index auctorum*, σελ. 252-259, δίδονται ὄχι μόνον αἱ παραπομπαὶ τῆς μνεῖας τοῦ ἀναφερομένου εἰς τὸ κείμενον συγγραφέως, ἀλλὰ καὶ αἱ παραπομπαὶ τῶν γνώμων ἢ στίχων τυχόν μνημονευμένων εἰς τὸ κείμενον εἰς τὸ σχετικὸν βιβλίον, ἢ ἀπόσπασμα ἢ ἐπιγραφὴν μὲ ἐνδείξιν ἀκριβῆ. Ἐπίσης εἰς τὸν *Index musicorum* τὰ ὀνόματα περιέχουν καὶ τὰς ἐνδείξεις τῆς πατρίδος καὶ τῆς καλλιτεχνικῆς εἰδικότητος.

Ὁ *Index Artificum* δίδει τὴν παραπομπὴν ὄχι μόνον τῶν μνεῖων τοῦ ὀνόματος τοῦ καλλιτέχνου, ἀλλὰ καὶ τῶν καλλιτεχνημάτων ὅπου ταῦτα μνημονεύονται. Ἀλλὰ καὶ ὁ γεωγραφικὸς καὶ ἔθνογραφικὸς πίναξ χαρακτηρίζεται διὰ πληρότητα, ὁ δὲ πραγματολογικὸς (*Index rerum notabilium*) εἶναι λεπτομερέστατος μὲ ἀφθονίαν περιπτώσεων ἐνδιαφερουσῶν τὴν ἔρευναν, ἥτις διευκολύνεται οὐσιωδῶς. Εἶναι δὲ ἀναμφισβήτητος ἡ ἀξία ἐνὸς μεθοδικοῦ καὶ ἀρτίου καὶ ἀναλυτικοῦ εὔρητηρίου διὰ τὴν μελέτην τοῦ κειμένου.

ΠΑΝ. Κ. ΓΕΩΡΓΟΥΝΤΖΟΣ

**Titī Livi**, *Ab urbe condita libri XXVI-XXVII*, recognovit *Patricius G. Walsh*, Leipzig 1989, 2. Auflage (Bibliotheca scriptorum Graecorum et Romanorum Teubneriana), pp. XX + 113.

Hic tomus Bibliothecae scriptorum Graecorum et Romanorum Teubnerianae novam editionem librorum XXVI et XXVII annalium Titi Livii continet, quam notissimus philologus Patricius G. Walsh curavit. In initio praefationis suae editor dubitationes exprimere videtur an nova editio operae pretium sit. Sed hoc modestiae editoris tribuendum est, qui re vera in hoc tomo edendo multum laboravisse apparet. Editio enim propter multos codices manuscriptos et lacunas eorum non facilis est. Hac de causa aliquot mendae in priore editione (cf. p. XVI) non vitabiles fuerunt.

In Praefatione (paginae V usque ad XV) et in Praefatiuncula secundae editionis (p. XVI) P. Walsh familias codicum multaque problemata scriptae traditionis textus apte et systematice tractat. Descriptio codicum et librorum, variae lectiones, latinitas et orthographia textus magna diligentia scientiaque linguae Latinae redduntur. Index librorum et libellorum, Notae et Sigla, quibus editor utitur, et Stemma codicum sequantur (paginae XVII-XX).

Sequitur textus librorum XXVI et XXVII historiae Titi Livii cum apparatu critico. Apparatus criticus huius editionis accuratus et satis longus est, rectissime autem vocabula et textus per versus (lineas) et non per paragraphos, sicut in vetustioribus editionibus accidit, numerantur. Ea res magno adiumento philologis omnibusque, qui annalibus Titi Livii student, erit. De interpunctione textus Latini hoc notandum censeo, scilicet eam pauperiorem esse quam apud priores editores, nescio an recte.

Quod ad orthographiam textus, apparatus critici et praefationis refert non fatigor opinionem mean repetere: rationem scribendarum hodie ambarum litterarum **u** et **v** in unica forma **u** vel **v** (e.g. uoluens, uouit, uocato, auerterat, Fulvius, prouinciis, Cluuiam, Vrbe, Tevbneriana etc. pro volvens, vovit, vocato, averterat, Fulvius, provinciis, Cluuiam, urbe, Teubneriana etc.) non video. Haec scriptio, quamquam tradita et recta, inutiles supervacaneasque difficultates lectoribus

scriptorum Latinorum hodie praebet. Itaque distinguendum clare inter litteras **u** et **v** censeo, sicut multi editores Titi Livii (Guilelmus Weissenborn, Mauricius Mueller, O. Riemann, T. Homolle, T. E. Page, Josef Feix et alii) fecerunt (cf. «Platon» 37 (1985), p. 272; 38 (1986), p. 206; 39 (1987), p. 202).

In capite 2, 7 libri XXVI recte editor lectionem alterae manus codicis Medicei *perduxisse* praefert, sicut O. Riemann, T. Homolle et F. G. Moore in editionibus suis scripserunt. In loco 6,4 recte lectio *quam quod* praefertur. Locus 9,6 difficiliter sanari posse videtur; quamquam Madvig eam non probat, forsitan accipienda scriptura *cursus* aliquot codicum et nihil in loco mutandum est. In capite 13,15 lectionem codicum *ut deinde in carcerem aut ad palum deligatus* satis planam esse puto et locum non emendatione egere. In capite 26,6 forsitan secludendum est vocabulum [*edita*] et non *ficta*, sicut Weissenborn et Mueller ediderunt, vel nihil mutandum extra inter punctionem: *crimina edita, ficta ab inimicis volgare, ut...* In loco 29,10 forsitam praeferenda scriptura editionis G. Weissenborn et M. Mueller: *post adversa omnia secundae pugnae gloriam*. In loco 33,8 recte Walsh lectionem *Fauculam* codicis Puteani (P) contra lectionem *Paculam* aliarum editionum praetulit. In capite 46,2 non video rationem secludendae praepositionis [*in*] phrasit *at parte in alia*.

In capite 1,8 libri XXVII recte mihi editorem lectionem *oppugnantium* condicum Aginnensis (A) et Laurentiani (N) in textu accepisse videtur. In Loco 3,4 coniunctionem *ut* ante verbum *noctis* ponendam esse puto, sicut in codice Vaticano (W) scriptum est. In capite 4,13 praeferendam lectionem codicum *in mare* opinor, quamvis multis in locis Titi Livii fines ablativi **i** et **e** confunduntur. Locus 6,3 recte, ut opinor, vocabulo *<aliae>* (*reliquae* addidit Aldus) contra ceteros editores completur. In loco 7,9 recte Walsh *<Q.>* e 7,7 addit. Similiter rectam seclusionem verbi [*excedat*] in capite 9,4 existimo. In loco 14,3 forsitan scribendum *duodevicesima* (pro duodevicesima) sicut in capite 12,14 eiusdem libri maior pars codicum tradit. In capite 20,3 forsitan *exsequendi* (pro exsequenda), sicut J. Madvig proposuit, scribendum est. In loco 20,7 dubito an recte post vocabulum repleti verbum *<placere>* additum sit. In loco 22,3 post vocabulum Claudio recte verbum [*flamini*] secluditur vel *Flaminio* scribendum est, sicut multi codices manuscripti tradiderunt. In capite 25,11 additionem vocabuli *<receptum>* non necessariam et lectionem aliquorum codicum *ferebatur* praeferendam existimo. In loco 28,10 dubito an vocabulum [*clausa*] vel [*deiecta*], sicut Conway et Johnson ediderunt, secludendum sit; fortasse nihil mutandum est in tradita forma textus, quam Mueller servavit. In capite 29,10 non certum est utrum vocabulum [*anno*] recte secludatur an locus nondum sanatus sit, sicut in editione Oxoniensi notatur. In capite 38,9 post verbum permutandique additio coniunctionis *<et>* editionis Aldinae nihi necessaria videtur, quamquam vocabula *que* et *et* synonyma sunt. In loco 47,10 forsitan scribendum *errorem volvens* (pro errore *<re>*volvens), sicut in codice Puteano legitur et Conway et Johnson ediderunt. Omnes haec observationes nostrae non magni momenti sunt et paulum vel nihil perfectae editioni Patricii Walsh adimunt.

Hic tomus Titi Livii utilibus Indicibus personarum et locorum gentiumque concluditur (pp. 107-113),